

**Zeitschrift:** Divus Thomas  
**Band:** 3 (1916)

**Artikel:** Dokumente  
**Autor:** [s.n.]  
**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-762788>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

**Download PDF:** 02.02.2025

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

# DOKUMENTE

## I

### S. CONGREGATIO DE SEMINARIIS ET DE STUDIORUM UNIVERSITATIBUS

#### DUBIA

CIRCA MOTU PROPRIO „DOCTORIS ANGELICI“ ET CIRCA  
XXIV THESES PHILOSOPHICAS A S. CONGREGATIONE STU-  
DIORUM RECOGNITAS ET PROBATAS

Cum Summus Pontifex Pius X, fel. rec. Motu Proprio *Doctoris Angelici*, edito die XXIX iunii MCMXIV, praescripserit ut in Universitatibus, magnis Lyceis, Collegiis, Seminariis, Institutis quae habent ex Apostolico Indulto potestatem gradus academicos et lauream in Sacra Theologia conferendi, Summa Theologica Sancti Thomae tanquam textus habeatur, et cum Sacra Studiorum Congregatio vigintiquatuor theses philosophicas, sibi ad examen propositas, germanam S. Thomae doctrinam continere, die XXIX iulii eiusdem anni, declaraverit, sequentia dubia ad hanc S. Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus delata sunt:

I. Utrum Summa Theologica S. Thomae habenda sit in Scholis de quibus supra, ut textus consultationis, vel uti textus praelectionum, saltem quoad partem scholasticam?

II. Utrum omnes vigintiquatuor theses philosophicae, a Sacra Studiorum Congregatione probatae, germanam S. Thomae doctrinam revera contineant, et in casu affirmativo, utrum imponi debeant Scholis Catholicis tenendae?

His dubiis Em̃i ac Rm̃i Cardinales huius S. Congregationis in plenario coetu, habito diebus XXII et XXIV, mense februario huius anni, ita respondendum censuerunt:

Ad I. Summa Theologica S. Thomae habenda est uti textus praelectionum quoad partem scholasticam quaestionum;

ita scilicet ut, una cum aliquo textu, qui ordinem logicum quaestionum indicet et partem positivam contineat, habeatur prae manibus et explicetur Summa theologica quoad partem scholasticam.

Ad II. Omnes illae vigintiquatuor theses philosophicae germanam S. Thomae doctrinam exprimunt, eaeque proponuntur veluti tutae normae directivae.

Die XXV, eodem mense eodemque anno, SS̃mus Dominus Noster Benedictus PP. XV, in audientia infrascripto Secretario impertita, sententiam Ẽmorum Patrum suprema sua auctoritate ratam habuit et confirmavit.

Datum Romae, die VII martii, in ipso festo S. Thomae, an. MCMXVI.

*Caietanus Card. Bisleti, Praefectus*

L. S.

*Iacobus Sinibaldi, Ep. Tiberien., Secretarius*

(Acta Apostolicae Sedis, vol. VIII, Nr. 5, 5 Maii 1916, p. 156—157)

## II

### BENEDICTI PP. XV EPISTOLA

AD R. P. EDUARDUM HUGON, SODALEM DOMINICIANUM, DOCTOREM DECURIALEM SACRAE THEOLOGIAE TRADENDAE IN URBANO COLLEGIO ANGELICO: EUM LAUDANS, QUOD SACRAE THEOLOGIAE DOCTRINAM AD MENTEM AQUINATIS IN USUM ETIAM LAICORUM DIVULGAVERIT

*Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem.* — Sanctum et salutare est, ac paene necessarium in scholis catholicis, ubi ad philosophiae ac theologiae scientiam instituitur sacra iuventus, summum haberi magistrum Thomam Aquinatem. Ita, quae a decessoribus Nostris, praesertim Leone XIII et Pio X fel. rec., hac de re sapientissime constituta sunt, omnino opus est salva et inviolata consistere. Sed etiam valde opportunum putamus, si Doctor Angelicus tamquam ex adytis Scholae prodeat, et ad omnes qui in religione altius cupiunt erudiri, lumen prope divinum afferat ingenii sui. Constat enim *Modernistas*, qui dicuntur, ideo tam longe a Fide in tantas opinionum varietates aberrasse, quod sancti Thomae principia disciplinamque neglexerint. Quam ob causam optimo tu quidem consilio instituisti de fidei christianae doctrinis augustissimisque mysteriis eo duce

---

scribere in gratiam maxime laicorum, ratione scilicet non usitata in scholis, sed iis qui huic studio non dediti essent, accomodata. Gaudemus autem haec tua volumina, quibus omnem fere theologiam complexus es, prudentum commendatione florere, eo in primis nomine quod cum ad illustranda ac tuenda religionis dogmata, tum ad alendos religiosos spiritus egregie valere videantur. Profecto, uti pietas est nulla, nisi quodammodo ab ipsa sanae theologiae radice efflorescat, ita magna illorum de theologia librorum laus est, qui studium pietatis in lectoribus inflamment. Quod hanc tibi laudem tribuere possumus, pergratum Nobis accidit; optandum ut quam plurimis iste tuus labor proficiat. Tu vero, dilecte Fili, praeter uberes operae tuae fructus, uberimum a Deo praemium exspecta; cuius Nos auspicem ac paternae benevolentiae Nostrae testem, apostolicam tibi benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die V maii MDCCCXVI, Pontificatus Nostri anno secundo.

BENEDICTUS PP. XV

(Acta Apostolicae Sedis VIII, d. d. 7 Junii 1916, p. 174)

---